



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LXXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

Atque hic est finis libri secundi secundum Hebræos.

PSALMUS LXXII.

Titulus : *Psalmus Asaph.* Vide tit. Psalm. 40.

Argumentum *adhortatio ad infirmos fideles, ut non scandalizentur, si videant improbos in hoc mundo florere: qua adhortatio semper utilis, saepe etiam necessaria est, cum nempe populus Dei, vel justus quicumque persecutionem patitur, & iniusti maximâ pace, & tranquillitate fruuntur.*

ψ. 1. Quàm bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde!

Explicaturus David tentationem, & scandalum pusillorum, quorum personam hic agit, primò jacet fundamentum rectæ fidei, ut intelligamus, neque ipsum, neque illos, quorum personam induerat, circa fidem Divinæ providentiæ naufragasse. Deus, qui in se semper est bonus, rectus, justus, est etiam talis Israelis judicio, non tamen omnis Israelis, sed iis ex Israele, qui cor habent liberum à passionibus, ut possint rectè judicare.

ψ. 2. Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei.

Exponit tentationem infirmorum, quorum
per-

personam agit. Qui recto sunt corde, Deum bonum, & justum esse non dubitant, quidquid illis accidat: sed ego infirmus, qui cor habeo non usquequaque rectum, penè cecidi in dubitationem de justitiâ Dei. Hanc dubitationem metaphoricè significat motio pedum, & effusio gressuum.

✧. 3. *Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.*

Aperit causam suæ tentationis. Quia zelo indignationis exarsi contra iniquos, quos vidi prosperitate, & pace gaudere, quam non merentur.

✧. 4. *Quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum.*

Ideo iniqui pace, & prosperitate fruuntur, quia tantâ sanitate utuntur, ut de morte non cogitent, quasi semper victuri: & si fortè plaga aliqua, seu morbus illis contingat, ea non habet stabilitatem, sed continuò evanescit.

✧. 5. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.*

Ad sanitatem iniquorum, quæ est pax cum morbis, & plagis corporis, accedit abundantia omnium rerum, ut non necesse habeant conflictari cum inopiâ, fatigatione, angoribus &c., quibus flagellantur plerique homines, qui in sudore vultus sui vescuntur pane suo, & calumniis

niis potentiorum opprimuntur. Monet S. Berni: qui cum hominibus non flagellantur in hâc vitâ, cum Dæmonibus flagellandos esse in Gehennâ.

ψ. 6. *Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate suâ.*

Ecce fructum, quem producit prosperitas in impiis, superbiam nempe, & cumulum iniquitatum: nam abutuntur fortunæ donis ad libidines suas explendas, & opprimendos debiliores. Contrâ viri pii valde timent, & humiliantur, cum arridet prosperitas, quam suspectam habent, ne fortè sit tota, & unica merces eorum. Nota verba ψ.: *Tenuit eos superbia*: non enim superbi superbiam tenent, sed ab eâdem, quasi vinculo quodam tenentur. *Operti sunt &c.* non solum peccant intus in corde, ut sæpe pauperes, miseri desiderii; sed oculis, manibus, pedibus, linguâ, visu, verbo, opere: ideo vocat iniquitate coopertos.

ψ. 7. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.*

Ostendit iniquitatem natam esse ex malo usu divitiarum; quas cum non dispensarint magis egentibus, ut par erat; ipsi pingues effecti, velut tauri, aut equi indomiti, pauperes oppresserunt. *Transierunt &c.* transmutati sunt in carnales passiones, & effecti toti carnales, & animales.

ψ. 8.

ψ. 8. *Cogitaverunt, & locuti sunt nequitiam ; iniquitatem in excelsis locuti sunt.*

Hi abundantes rebus temporalibus, cogitarunt apud se iniquitatem contra Deum, & homines, nec timuerunt eam palam prædicare, irridendo Dei majestatem, & qui illum colunt. Hi iniqui divites in sublimi locati, ut superbiam eorum decebat, de excelsis illo loco Deum iniquissimè blasphemarunt. Sed hæc clariora sunt ex ψ. seq.

ψ. 9. *Posuerunt in Cælum os suum, & lingua eorum transiit in terra.*

Posuerunt supra Cælum os suum, non timentes Deum, & Angelos blasphemare: & lingua eorum transiit, hebraicè, *perambulavit in terrâ* detrahens cultoribus Dei, eosque irridens, quasi vana sit spes eorum.

ψ. 10. *Ideo convertetur populus meus hic, & dies pleni invenientur in eis.*

ψ. 11. *Et dixerunt, quomodo scit Deus, & si est scientia in excelsis?*

Iterum in personâ infirmorum in fide explicat tentationem. Ob tanta scelera, & tantam felicitatem iniquorum, populus meus, qui est fidelis, & timens Deum, convertet se ad consideranda hæc: & considerando inveniet, verè felices esse impios, ita ut etiam diutissimè vivant, & impleant dies suos pervenientes ad

ultimam senectutem. Et titubantes in fide dixerunt : Quomodo potest fieri , ut Deus hoc sciat , & permittat ? Estne scientia in Deo excelsio ? an potius hæc ignorat , vel non considerat ?

ψ. 12. *Ecce ipsi peccatores , & abundantes in sæculo , obtinuerunt divitias.*

ψ. 13. *Et dixi , ergo sine causa justificavi cor meum , & lavi inter innocentes manus meas.*

ψ. 14. *Et fui flagellatus totâ die , & castigatio mea in matutinis.*

Aperit causam dubitationis , an Deus sciat , quæ aguntur in terris ; & loquitur , quasi unus esset ex istis infirmis , ut faciliùs eorum infirmitati medeatur. *Ecce &c.* hæc ratio est , cur incipiam dubitare de providentiâ Dei , quia peccatores , qui flagellari deberent , abundantes sunt in sæculo , hebraicè , *pacem , & quietem habent* , & per hoc abundant sanitate , robore , amicis &c. *Et divitias obtinuerunt* , multiplicaverunt tenendo , ne dilabantur. *Et dixi* apud me ista considerans : ergo frustra cor meum purum à peccatis servare studui , & frustra *lavi* &c. innocenter operatus sum , & vixi : frustra , inquam , quia Deus non benefacit justis , sed peccatoribus ; imò justos affligi patitur : ego enim , qui justitiæ studeo , semper in tribulationi-

tionibus versor ; & vexatio mea summo ma-
nè incipit, ut ne modicum requiescam.

✠. 15. *Si dicebam, narrabo sic, ecce natio-
nem filiorum tuorum reprobavi.*

Incipit adhibere medicinam infirmis, & dat
primam rationem non dubitandi de providen-
tiâ Dei. Si dicebam apud me, pergam narrare
prosperitates impiorum, quasi injustas, & hanc
injustitiam in Deum referre: *Ecce &c.* hoc ipso
damnavi omnes filios Dei, Abraham, Isaac,
Jacob, Moysen &c., qui credebant, Deum
habere providentiam rerum humanarum, & ju-
sto judicio peccatoribus interdum dare prospe-
ritates, & justis tribulationes.

✠. 16. *Existimabam, ut cognoscerem hoc,
labor est ante me.*

✠. 17. *Donec intrem in sanctuarium Dei,
& intelligam in novissimis eorum.*

Secundam rationem ducit à difficultate quæ-
stionis, deterrendo homines, ne prompti
sint ad reprehendenda, quæ non intelligunt.
Cogitando investigabam, ut ad hujus rei no-
titiâ pervenirem: sed *labor magnus, & diffi-
cultas mihi objiciebatur, donec intrarem in
sanctuarium Dei, & per orationem à Deo lu-
men obtinerem; & eo lumine ad novissima
iniquorum abundantium aspicerem: nam ex
Divino judicio, quod post mortem impios*

maner, manifestè declarabitur, illos non fuisse verè felices.

ψ. 18. *Veruntamen propter dolos posuisti eis, dejecisti eos, dum allevarentur.*

Incipit probare Dei justitiam, iniquorum divitum infelicitatem ex novissimis, eorum. Veruntamen propter dolos, quibus usi sunt erga proximos suos illi injusti, ut opes multiplicarent, tu Domine secundum providentiam tuam fecisti, ut hi doli verterentur ipsi in dolos longè majores: nam dum per dolos lucrati sunt opes, agros, vestes &c., jacturam fecerunt æternæ vitæ: & dum extollerentur ad honores, dignitates, per eas dejecti sunt in præcipitium mortis æternæ, justo judicio tuo.

ψ. 19. *Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.*

Declarat quod obscure dixerat, & miratur celerem ruinam iniquorum. Quomodo, qui videbantur rebus omnibus abundare, repente facti sunt instar civitatis desolatæ, ubi præter ruinas nihil cernitur! *Subito defecerunt*, qui videbantur in æternum super terram victuri. *Perierunt &c.* Dicuntur iniqui subito periisse, quia prosperitas eorum, etsi, dum permanet, diuturna videtur, brevissimam tamen fuisse, mors declarat.

ψ. 20.

ψ. 20. *Velut somnium surgentium Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.*

Eleganter comparat somnio prosperitatem iniquorum. *Velut somnium surgentium*, quod evigilando evanescit : *Sic tu, Domine, in civitate tua*, quæ in novissimo demonstrabitur, & aperietur, *imaginem ipsorum*, h. e. imaginariam eorum felicitatem *ad nihilum rediges* : umbratilis enim felicitas, sita in auro, argento, honoribus, deliciis &c. evanescet, cum vera felicitas apparebit.

ψ. 21. *Quia inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt, & ego ad nihilum redactus sum, & nescivi.*

ψ. 22. *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.*

ψ. 23. *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.*

Exponit, unde noverit solutionem quæstionis, & apud Deum multum profecerit. *Quia*, hæc vox non dat rationem superiorum, sed ψ. 23. *Quia inflammatum est cor meum in Deum, & renes mei*, affectio mea carnalis mutata est in spirituales ; & humiliatus sum, & ignorantiam meam confessus sum : imò obedire tibi constitui, & onus quodcumque portare,

re, more jumenti : *Et ego semper tecum*, h. e. à fide, & caritate tuâ non recedam propter has omnes virtutes meas, quæ dona tua sunt, *tenuisti manum dexteram meam*, ne fortè tentatio illa gravissima me aberrare faceret à te: & secundùm beneplacitum tuum deduxisti me per viam rectam, *Et cum gloria suscepisti me in civitatem tuam*, nunc quidem in spe, suscepturus postea in re.

ψ. 24. *Quid enim mihi est in Cælo: Et à te quid volui super terram?*

Oculo cordis in gloriam illam, cujus ψ. 23. meminit, defixo, ita raptus à spiritu est, ut jam omnia creata despiciat. Quid pulcri, quid pretiosi est, quod appetam in Cælo? aut quid pulcri, quid pretiosi à te expetam super terram? quasi dicat: Nihil creatum invenio sive in Cælo, sive in terrâ, quod mihi satisfaciât, & in quo cor meum penitus conquiescat.

ψ. 25. *Defecit caro mea, Et cor meum: Deus cordis mei, Et pars mea Deus in æternum.*

Ratio, cur nihil cupiat præter Deum. Si quando carnem meam, & cor meum per amorem collocavi in creatis rebus, putruerunt, & corrupta sunt. Deus solus est centrum desideriorum meorum: ipse est pars mea, hæreditas mea, id totum, quod prætere possim in æternum.

ψ. 26.

ψ. 26. *Quia ecce qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.*

Rectè elegit quiescere in Deo, quia omnes, qui per iniquitatem separantur à Deo, peribunt omninò, ut corpus perit separatum à spiritu. Nec solùm pereunt, qui avertuntur à Deo, quia carent hoc ipso gratiâ Dei, quæ est vita animæ: sed etiam quia Deus Zelotes est, & animas sibi primus desponsavit; & ideo gravissimè punit morte sempiternâ, qui fornicantur à Sponso tam bono, & tam potente.

ψ. 27. *Mihi autem adherere Deo bonum est, ponere in Domino Deo meo spem meam.*

ψ. 28. *Ut annuntiem omnes predicationes tuas in portis filia Sion.*

Viderint alii, quid eis bonum sit; mihi certè bonum, utile, jucundum, honorificum adhærere Deo: & quia adhærere per amplexum in hâc vitâ non datur, bonum mihi nunc est adhærere Deo per spem, & in spe perfectæ adhæsiõnis interim gaudere. Ut per hanc adhæsiõnem ad Deum, liberatus ab omni cupiditate terrenâ totus occuper in prædicandis operibus justitiæ, & misericordiæ tuæ, *in portis filia Sion*, coram multitudine fidelium, ut multos erudiam, quàm sit inane, & noxium adhærere temporalibus bonis, & quàm bonum adhærere Deo, & ponere in Domino Deo spem suam.